



**J**ubilæum publicamus Scholasticum, postquam centesimus Gymnasii nostri annus absolvitur. Neq; vitio nobis vertetur gratulandi, vovendi & bene ominandi promptitudo, si faustis ejusmodi recordationibus favore videntur Gentium & Populorum exempla. Judæi ex instituto divino quinquagesimum suum observabant annum. Quantum Romani seculares suos ludos, in Urbis conditæ memoriam æstimaverint, nemo ignorat. De Jubilæis hodiernæ Romæ, quæ ab anno centesimo, redierunt ad quinquagesimum, ab isto ad vicesimum quintum, illi referant, qui vel 1650. vel 1675. has Ceremonias videre meminerunt. Transiit ea res etiam ad Academias, quæ finito Seculi cursu, solennib' gaudiis perstrepere consueverunt: cujus ultimum exemplum in recenti adhuc est memoria, Academiæ Helmstedtensis anno 1676. his gratulationibus defunctæ. Neq; jubilandi nullam occasionem dedit Religionis negotium, ex quo Potentissimus Saxonæ Elector anno 1617. in suis Provinciis jussit, in aliis commendavit ac persuasit, ut seculari festivitate recoleretur prima Lutheri adversus Tezelium disputatio: indignantibus tum Adversariis, quorum cavillationes in Galliæ suæ historia Gramondus satis acerbè repetit: levi tamen nostrorum metu, ut simili pietate anno 1630. Augustanæ Confessionis memoriam, anno 1655. Pacis Religiosæ secularem constantiam celebrarent. Quin si à publicis his negotiis descendere libeat, vel ad privata magis, vel ad Scholastica: Gymnasium certè Gorlicense, cum per quinquaginta floruisset annos, occasione introducendi novi Rectoris, primum suum Jubilæum publicè deprædicavit: Seculi vero felicem exitum Pompâ Gregorianâ, Ludis Scenicis, aliq; splendore prosequi non dubitavit. Et cur nolimus omni conatu id agere, ut Cives intelligant, rem esse vel ipsis plausibus majorem, quoties tanti cimelii stabilem ac continuam licet allegare possessionem? Præsertim si apud alios valere videamus Juliani consilia, qui tum demum credebat, redigi ad incitas posse Christianos, si omnis eorundem Juventus à Scholis arceretur.

Eqvidem Romani Seclarem suam festivitatem indicturi, Præconis voce proclamabant, *ut quisq; veniret visurus Ludos, quos nec ante vidisset, nec posthac, dum viveret, revisurus esset unquam.* Jam cum Româ Orbis Dominâ temerè nolim comparare Zittaviam